

Meminit idem Aristoteles 4. Physico capite 2. ἀγράφων, *non scriptorum* quorundam dogmatum. Haec vero talia fuisse putandum est, quales fuerunt Pythagoreorum sermones, quos mathema vocabant iisque secreto discipulis quibusdam selectis comunicabant et quales Plato in Theaeteto Protagoram *in secreto*, ἀποδόχητω meminit solitum esse tradere et 3. Rhetorico Aristoteles ipse Trasymachum factitasse scribit. Atque hoc alia res erat a libris illis, quos scriptos quidem discipulis praelegebant, non tamen publicarant, vocabantque acroamaticos, acusmaticos, esotericos, sicuti primi tomis libro 6. abunde ostendimus.

Non scripta ergo quaedam Plato dogmata in colloquiis secretioribusⁱ discipulis quibusdam tradebat. Id aperte scribit Simplicius ad hunc locum, cuius haec sunt verba. Sed addit *in sermonibus de bono, quibus Aristoteles, Heraclides, Estiaeus et alii socii Platonis, interfuerunt, ac veluti aenigmatis dicta descripserant*, ea autem Plato nonⁱⁱ scripsit, sed hi eius discipuli et Philoponus τὰς ἀγράφους τοῦ Πλάτωνος συνουσίαςⁱⁱⁱ *non scriptas Platonis collocutiones* affirmat.

Quod Aristotelem fecisse in libris De bono idem Simplicius libro De anima primo testatur his verbis:² *De philosophia nunc vo-*

² περὶ φιλοσοφίας νῦν λέγει τὰ Περὶ τοῦ ἀγαθοῦ αὐτῷ ἐκ τῆς Πλάτωνος ἀναγεγραμμένα συνουσίας, ἐν οἷς ίστορεῖ τὰς τε Πυθαγορείους καὶ Πλατωνικὰς περὶ τῶν ὄντων δόξας. [SIMP. in An. 11.28.7 – 9]

ⁱ Auct. corr. ex secretionibus

ⁱⁱ Auct. corr. ex num

ⁱⁱⁱ Usp. PHL.P. in de An. 15.75.34 – 35.